

Aus der Pastoral:

- 1) Welche Wichtigkeit haben dogmatische Predigten, und wie sind dieselben zu verfassen?
- 2) Welche Arten von Botivmessen unterscheidet man hinsichtlich der Feier und des besonderen Inhaltes und an welchen Tagen ist im Allgemeinen deren Celebrirung erlaubt?
- 3) Erklärung des Reservatsfalles „incestus cum affinibus et consanguineis I. et II. gradus.
- 4) Predigtthema: „Du sollst deinen Nächsten lieben wie dich selbst.“ Matth. 22, 39, Christliche Nächstenliebe.
- 5) Katechese: „Der katholische Christ muß seinen Glauben wenn es nöthig ist, öffentlich bekennen.“

Aus der Exegese:

Paraphrase über das Evangelium am vierten Sonntage nach Ostern.

Zwei katholische Actenstücke aus dem Jahre 1868.

1. Originaltext der Ergebenheits-Adresse,

welche die letztjährige XVI. Provincial-Versammlung der katholischen Vereine Oberösterreichs an den heiligen Vater Pius IX. gerichtet hat:

Beatissime Pater!

Quam maxime filios Tuos fideles dolor ille tetigit acerbissimus, quo novissimi in Austria eventus cor Tuum affecerunt paternum.

Ceu acerrimus enim veritatis jurisque Vindex non potes non aegre ferre quascumque utriusque laesiones, atque eo graviore cum moerore ad veritatem tuendam jusque vindicandum vocem Tuam elevas Apostolicam, quo majori veritatis jurisque laesores prosequeris amore.

Causa autem doloris certe gravissimi: sunt filii vocem contemnentes Patris sui, homines quoque, qui se nominant catholicos, adversus apostolicam Tuam protestantes sententiam.

Quapropter in his rerum adjunctis catholicarum in Austria superiori reunionum membra sanctissimum suum gratissimumque ducunt officium, ex sua parte catholicum suum sensum publicum testatumque facere.

Te igitur, sanctissime Pater, publice profitemur s. Petri successorem, visibilem Jesu Christi filii dei unigeniti et domini nostri his in terris Vicarium, Te profitemur fundamentum, super quo ecclesia est aedificata, supremum in Ecclesia Magistrum, qui in fide est confirmatus, ut et fratres in veritate possit confirmare; Sacerdotem summum, cui regni coelorum traditae sunt claves, summum Pastorem, cui pascendi agni ovesque sunt commissi, totius ecclesiae Caput, a quo nemini, qui ad Christi corpus vere vult pertinere, licet deficere.

Tibi porro, beatissime Pater, solemniter vovemus promptissimam, uti vere catholicos decet, obedientiam obsequiumque firmissimum: Te gaudentes in errorum modernorum caligine semper sequemur ducem, Te docente laetabundi audiemus, Te dirigente ferventes agemus, Te benedicente fidentes procedemus, vestigia prementes Reverendissimi nostri Episcopi, pastoris nostri fidelissimi, patris dilectissimi, praesulis gratiosissimi.

Tibi denique, Pater sanctissime, palam declaramus profundissimam nostram erga Te, in dignitatum virtutumque apice constitutum, reverentiam, ferventissimum nostrum versus Te, Patrem nostrum amabilissimum, amorem, admirationem nostram erga Te, veritatis jurisque Vindicem constantissimum, gaudium nostrum ob tutelam a Deo Tibi tam manifeste praestitam sincerissimum, ardorem quo pro Te ad Deum benignissimum numquam non humiles fundimus preces atque desiderium, quo in futurum quoque gratiam Tuam favoremque nec non apostolicam expetimus benedictionem.

Faustus sis felixque semper, Beatissime Pater, et per multos quoque annos Deus Optimus Maximus in totius ecclesiae salutem omniumque bonorum consolationem vitam Tuam conservet carissimam.

Membra Sodalitatum Virorum catholicorum, item Confraternitatis S. Michaelis nec non S. Vincentii et Juvenum operariorum, simul congregata in Conventu Dioecesano Lincii tertia et quarta Augusti anni MDCCCLXVIII.

2. Originaltext des Schreibens,

mit welchem der heil. Vater Pius IX. vorstehende Adresse zu beantworten geruhte:

Pius PP. IX.

Dilecti Filii salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod optamus in primis enixaque prece poscimus a Deo, ut quo acrius saevit in Ecclesiam procella, et quo pertinacius urgetur dissolutionis opus, eo lucidius constantiusque se prodatur christiana fides, eoque compactior a fidelibus unitas cum hac veritatis Cathedra praeferatur; id vos palam et erecto animo perfecisse laetamur. Nec certe minus perspicuam firmamque fidei professionem postulare videntur praesentia rerum adiuncta, ubi catholicae religionis oscores rerum summa potiti, sanctiora quaeque iura contemnunt, Ecclesiae leges proculeant, Supremi Pastoris auctoritatem deprimunt, sacram cum civili potestate committunt, perturbatisque mentibus, vincula frangere nituntur, quibus fideles cum communi copulantur Parente suo. Pro vobis profecto, qui non erubescitis evangelium, stat illa divina promissio, *omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*; et eo latius stare confidimus, quod publica huiusmodi constantiae exempla, cum proprii actus finibus contineri non soleant, nequeant pares magnanimitatis sensus in aliis non excitare, et in Ecclesiae decus simul et praesidium non vergere. Quamobrem non modo gratissimo excipimus animo officia vestra, sed gratulamur vobis; et Deum rogamus etiam atque etiam, ut firmiores semper vos faciat in proposito vestro, et alacriores ad